



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

XXXII. De Calumnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

CAPUT XXXII.

De Calumnia.

Dicastillus, & alii docent, calumniam calumniare, torqueri posse sine peccato mortali; & esse merum mendacium, nec charitati, nec iustitiæ repugnans.

RESPONDETUR.

Equidem Dicastillus docet ut probabile, in certis quibusdam casibus ad infringendam alterius fidem, nobis perniciosam, iustæ defensionis titulo, calumniam adhiberi posse, sine peccato mortali, vel criminis occulti publicationem; vult tamen adesse multas conditiones, quarum si vel una absit, calumnia injusta sit: 1. vult, injustam esse accusationem, adversus famam, vitam, rem nostram, sive quia hostis affligit calumniam, sive quia crimen occultum aperit, quod in iudicio probari nequit. 2. vult, agi de re magni momenti; si enim res levis sit, à tali medio abstinendum est. 3. vult, honori aliter confulti non posse, quam eversa fide adversarii; nec fidem illius alio modo infringi posse; si enim alia sunt media, hoc sanè uti sine peccato lethali nequimus. 4. supponit, illum, qui calumniam retorquet in hostem, hoc reverà modo honoris sui & famæ indemnitati consulere; si enim alterius infamatio ad hunc finem inutilis esset, jam hac iustæ defensionis loco esse non posset, sed meræ vindictæ.

His positis, prædictam sententiam ut probabilem Dicastillus defendit; quæ sanè longè mitior & humanior est opinione illa, quæ in iisdem planè circumstantiis hostem occidere permittit, quam sequitur Bannez 2, 2. quæst. 64. art. 7. dub. 3. in corpore & solutione ad 2. Manuel. tom. 1. summ. cap. 37. num. 1. Petrus Navar. de rescriptis. cap. 3. à num. 171. Duvallius tom. 2. tract. de charit. quæst. 17. art. 1. Salon. Arragon. Covarr. Navarrus, & alii multi, quos citat & sequitur Diana part. 5. tract. 4. resol. 9. Sayr. lib. 6. de censur. cap. 17. à num. 23. Jean. Sancius disp. 46. num. 8. Henricus Stroverdoiff. 2, 2. quæst. 64. art. 7. concl. 5. imò possunt adduci pro hac sententia, quotquot asserunt, in foro conscientie licitum esse occidere pro defensione honoris, quando aliter defendi non potest; quod tuetur Sotus cum aliis supra citatis à Diana; Zanardus 12. director. de homicid. cap. 2. §. octavo dico, est ejusdem sententiæ; item Cajetan. in sum. v. homicidium, & 2, 2. quæst. 64. art. 7. §. ad hoc dubium; ubi ait, hanc esse mentem D. D. Augustini & Thomæ; Marc. Serra ibid. dub. 1. §. ex hoc sequitur, & citat Sotum, Lopez 1. part. instruct. cap. 65. cum Armilla; sed longè mitius loquitur Dicastillus, qui in prædictis circumstantiis homicidium non permittit, sed tantum dictam opinionem, præscriptis tamen legibus, limitatam defendit.

Pro hac opinione Dicastilli, Diana part. 6. tract. 6. resol. 16. multos citat, & sequitur, tum Canonistas, tum Theologos, qui docent, hominem, cui injustè aliquod crimen ab alio imponitur, posse ipsum exprobatorem calumniæ accusare; hi porro sunt Bartol. Felin. Farinac. Peregrin. Sayr. Sotus lib. 5. quæst. 9. art. 3. hæc habet: Nunquam licet per modum vindictæ in convitiatorem crimen respicere, sed tantum per modum defensionis, vim vi repellendo: Hurtad. de

Mendoza 2, 2. disp. 170. scilicet. 14. & apud illum Pet. Alciat. Palqualigus decis. moral. 473. qui citat Arragon. Sayr. Peregrin. &c. apud Sayr. infamare, num. 4. quatuor pro hac sententia adducunt Bannez 2, 2. quæst. 70. art. 3. dub. 2. asserit, solum esse peccatum veniale mendacii; idem docet quæst. 77. art. 3. concl. 2. & alibi passim; & hoc putat probabile Joan. de la Cruz 1. part. direct. p. 8. art. 3. dub. 1. Caramuel. fundam. 55. §. 6. num. 1151. testatur pro 20 Doctores huic sententiæ suffragari. Accedunt Major in 4. disp. 15. quæst. 6. Bonacin. de rescriptis. quæst. 4. punct. ultim. D. Thom. 2, 2. quæst. 70. art. 1. Ledesma. de iust. cap. 25. concl. 2. dub. 3. ubi testatur de communi; Orellan. 2, 2. quæst. 72. ut testatur Vega in sum. v. injurias; Salon. 2, 2. quæst. 62. art. 2. concl. 2. Arragon. ibid. dub. 9. Navar. lib. 2. cap. 349. Malder. tract. 6. cap. 10. dub. 10. Sylvest. v. introitus, §. 4. 3. alii multi pro hac opinione citantur: Adrianus, Angles, &c. Lessius cap. 11. dub. 2. num. 131. Ita Sotus, inquit, & alii passim; Respondeo. quæst. 13. isti omnes dicunt, ad impediendam istam accusationem, vel infamiam, defensionem tantum infamantis, sine injuria aperiiri posse, ad detrahendam illi fidem; & si per calumniam hoc crimen eodem fine illi affingatur, præscriptis necet supra legibus, non esse peccatum mortale contra iustitiam, vel charitatem, sed veniale: imò mendacii; ita expressè D. Thom. supra citatus cum Ledesma, & hoc eodem teste; ita communiter Thomistæ: vide Dicastill. lib. 2. de iust. tract. 2. disp. 1. punct. 4. dub. 2.

Ratio pro hac sententia deesse non videtur: modo, in quibusdam casibus, vix aliter fieri potest, ut enim aliquis mihi saltem crimen palam exponere, aut certe verum, sed occultum, cur non possum ponere, mentiris, calumniaris: si Confessarius, per summum nefas, peccatum in confessione Sacramentali sibi expositum revelet, an mendacii & impudencie notam inurere illi, injustum est? non quod non habeo jus, ne mea res lædatur: mea res, inquit, magni alicujus momenti, ut vita, bona, honor, pudicitia, fama, igitur an injustum erit ejusmodi confutere? illud quædamtaxat medium efficiat, ut habere, quod testare supponitur, detracta scilicet ipso aggressori fide, modò id fiat cum moderamine inculpato, & præscriptæ conditiones adsint: si mentem morte aggressoris, mutilationem mutilationis, justè arceo, cur calumniam calumnia, sine injuria repellere non possum? Qui vitam alterius non potest peti, jus amittit in propriam vitam; unde sine injuria occidi potest; quidni pariteris, qui famam alterius injustè petis, excidas tuo jure in propriam famam? dixi supra, injustum non esse, non tamen propterea licitum; quia calumniam alteri adhibere, saltem mendacium est; & si perjurium accesserit, erit peccatum mortale contra religionem, non tamen contra iustitiam; multum enim interest, ut petet, ad satisfactionem injungendam, si enim contra iustitiam nihil actum est, nulla reparatio imponitur.

Hæc, quæ hætenus à me dicta sunt, eò non petant, ut hanc opinionem approbem; nempe tum nullo modo approbo, nec ad praxim licite rectum posse exstimo; sed illam speculative loquendo, tum propter rationes, quibus nictur, tum propter nobilissimos auctores, qui eam defendunt, damnae non ausim; illius tamen praxim & usum rejicio, proinde, damno; tum quia omnes fere auctores de iustitiæ illam reprobant, ac censent injustè accusantem.

infortuna legum interiecta, honorem suum ac
se defendere nequit, retorquendo, detrahendo,
et quando sese tueri non posse, sed patienter pro-
cedendo, cum injuriis ferendam esse, tum quia mani-
festa experientia, vix unquam accidere pos-
se, ut iniquitate acculatus alia media, ad propriam de-
fensionem adhibere non possit; tum quia semper ali-
quid deest, ex his, quas vel ipse Dicastillus
propterea, quia improbi male uterentur, & quæ pro-
briis esset: scio, Malderum & Sylvium docere,
illam Confessionis non fore inutilem, ad justam com-
pensationem præscribendam, quando scilicet mutua
intercessione intercesserunt; sed in hoc etiam Confessa-
tionem, nisi cum maxima cautione & prudentia se ge-
rent, facile hujus opinionis usu, in errorem inducitur,
quare neque illam ex hoc capite probem.

CAPUT XXXIII.

De pietate adversus virginem.

Nonnulli eorum Scriptores simplicioribus im-
pudent, dum eos docent inania quædam pie-
tatis officia erga Deiparam; quidam eorum
libro pleni sunt hujusmodi nugis.

REFELLITUR.

Un est, quod hic hæream; dico tantum varia,
quæ in libris piis proponuntur, ad prædicti
Deiparæ reificationem, & augmentum, si eo
anno, quo ab auctoribus illis proponuntur, esse
omnino piæ, & salubria, nec parum conducere, ut ju-
sti iustificentur adhuc, & peccatores convertantur;
nemo enim ignorat, peccatores salvari non posse, si-
ne penitentia, quam sanè prædicta officia supplere
non possunt: sed cum penitentia sit donum Dei, ne-
mo dubitat, quin Deiparæ intercessione, illa gratiæ
actualis subsidia Deus peccatori elargiri possit, qui-
bus motus & adjutus penitentiam agat, & ad Deum
convertatur; quis autem nescit, bona peccatorum
opera, g. jejunia, elemosynas, aliaque hujusmodi,
inimicorum non sunt, esse tamè impetratoria: erunt
sanè aliaque, quæ si in rigore scholastico examinen-
tur, sunt inania censenda sunt; sed non nihil sanctæ
pietatis concedendum & condonandum est; sunt san-
ctæ quædam stultitiæ; piæ quædam, ut sic loquar, nu-
gæ ferret, essetque hujus loci, hæc facile Sancto-
rum exemplis confirmarem, sed extra chorum salta-
tem Pauli sufficiat, nos stulti propter Christum,
hoc capite hominum prudentia ea damnat, quæ divina
Superiora probat & diligit: uno verbo, modò infra la-
tis colum, qui Deo & Christo competit, te conti-
neat, non est periculum, ne in cultu Deiparæ plus
excedas.

CAPUT XXXIV.

De vera pietate.

Veram genuinamque pietatem, cum immo-
derata gloria, honorisque cupiditate conci-
ant: quoniam rerum humanarum studium,
etiam sententia, veniale dumtaxat peccatum est;

nisi quis illas appetat, ut impuniùs & commodiùs
peccet.

RESPONDETUR.

IN fugiendis honoribus, & probis Christi causa
expetendis, veram perfectorum pietatem Casuistæ
collocant; alia posita est in compescendo posses-
sum honorum amore; ita ut divitiæ si affluant, cor
non apponatur; & mori potius malis, quam pro illis
tuendis, vel augendis, leve peccatū admittere: iidem
Casuistæ docent, ambitionem, ut plurimum, veniale
peccatum esse, nisi finis, quem ambitiosus sibi pro-
ponit, mortalis sit, aut ut id, quod ipse tæmbit, con-
sequatur, malis artibus eo utatur, iisque mediis, quæ
ad peccatum lethale conducant; hæc tria est Ca-
suisarum sententia, quos frustra citarem: nec est,
quod adversarii dicant, superbiam esse unum ex sep-
tem peccatis mortalibus, quia vulgus septem pec-
cata capitalia, mortalia vocat, cum tamen ex gene-
re suo non sint mortalia, scilicet omnia: vide Cajet.
v. superb. Tolet. lib. 8. cap. 3. &c.

CAPUT XXXV.

De Invidia.

Nonnulli ex iis docent, invidiam de bono spi-
rituali proximi esse peccatum mortale, ve-
niale verò de bono temporali.

REFELLITUR.

Theologi communiter dicunt, optari posse, ex
causa & sine dumtaxat veniali, ne fortunis, ho-
noribusque proximis augeatur; imò optari posse, ut
priveretur bonis temporalibus, ne iis in perniciem
aliorum abutatur, ac proinde naufragium salutis faci-
at: de spiritualibus secus omnino dicendum est;
nullo enim honesto ex fine optari potest, ne quis v.
g. ad Deum convertatur, vel insignem sanctimo-
niam consequatur, aut ad cælestem gloriam perve-
niat; nempe hæc desideria, seu vota ex immani
dumtaxat adversus proximum odio fluere possunt:
hoc discrimen vel ipse Aristoteles agnovisse visus
est, inter bona temporalia, & actiones virtutis; dicit
enim in Rhetoricis, illam invidiæ speciem, quam
Græci nemefim appellant, non posse ferri in bona
honestæ proximi, id est, in bona virtutis, sed tantum
in bona fortunæ: in his minutis non hæreo, quæ
nullam penitus difficultatem continent.

CAPUT XXXVI.

De Acedia.

Acediam definiunt, tristitiam ex eo concep-
tam, quod res spirituales tales sint, v. g. si do-
leas, Sacramenta esse gratiæ fontes; hoc autem
peccatum mortale est.

RESPONDETUR.

EQuidem juxta Theologos, quisquis doletet, seu
tristitiam conciperet, ob instituta à Christo Sa-
cramenta, ut media, ad obtinendam gloriam necessa-